



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stella Mystica**

**Bonald, François**

**Coloniae, 1607**

Ad procellarum ac tempastatum quas paßionum immoderatio excitat  
mitigationem, virtutes requiri.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10014**

*& sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit: non diiudicans corpus Domini. Restat alius adhuc modus passionum moderandi, qui consistit in virtutum exercitijs & actibus, quem quia sequenti versiculo continetur, in sequenti consideratione aperiemus. Versiculus autem sequens sic habet:*

### BONA CVNCTA POSCE.

*Ad procellarum ac tempestatum quas passionum immoderatio in nobis excitat, mitigationem virtutes requiri.*

### CONSIDERATIO.

**R**ERVM naturalium indagatores aiunt, contraria se mutuo pati non posse: calidum à frigido, & contra frigidum à calido expelli. Hinc est quod medici calidi alicuius humoris intemperiem temperare volentes, pharmaca frigida  
exhi-



exhibent: & contra frigidorum humorum intēperie temperaturi calidis pharmācis vtuntur. Iam vero quod in ægitudinibus corporalib. feruatur, et in spiritualib. cum quadam proportione obseruari debet. Peccata & passiones inordinatæ sūt symptomata & infirmitates animæ: tragemata siue remedia his cōtraria sunt gratia & virtutes: illa ad peccatū expellendū; hæ vero ad passionū & affectionū immoderationē temperandā. Gratia Dei vitā restituit animæ per peccatū mortuæ, virtutes alacrē & promptā reddunt illā ad bona faciēda, & mala fugiēda. Vbi <sup>2. Cor. 13.</sup> sunt virtutes charitati sociatæ, ibi Deus est: vbi vero Deus præsens est, ibi omnia in quiete ac tranquillitate sunt. Apostolorū nauicula ventorū flatib. & maris fluctib. vehementer quatiebatur: sed statim vt in eā <sup>Matt. 14.</sup> ingressus est Iesus, venti & fluctus quieuerunt, & redijt tranquillitas magna. Si autem aliquando permittat tempestatē, aliquam se presente suscitari, quēadmodū passus est cū



in naui quæ procellis & fluctibus maris agitabatur, somno indulgeret, id facit, vt nos ad se tempore tribulationis confugere doceat.

Enitendum igitur tibi est totis

*Pro virtutibus acquirendis laborandum.* viribus, Anima fidelis, vt charitatem cæterasque virtutes Christianas consequaris, si Deum tecum esse, & in pace ac tranquillitate spiritus vivere cupis. Hæ virtutes, & gratia Dei sunt præcipua bona quæ in præsentivita desiderari possunt. Et enim cum propriè loquendo nullum sit in mundo aliud malum, præter vitium, & quæ illud concomitantur: ita nihil est propriè bonum, quam gratia Dei, & consummata virtus. Quapropter sicuti superius ab omnibus malis liberari petisti, à vitijs videlicet & peccatis omnibus: ita nunc loco illorum debes postulare bonorum omnium, quæ sunt virtutes & gratiæ diuinæ, concessionem. Quod si nosse cupis num licitum sit desiderare ac petere bona

*Nihil in mundo malum præter vitium.*



corporalia, cuiusmodi sunt sanitas, pulchritudo; vires; diuitiæ; honores, aliæq; similia: Respondeo quod possunt peti, modo non absolute postulentur, sed quatenus ad vitam necessaria, atque ad virtutum exercitia conducibilia sunt. Hic autem cauere debebis tibi, ne in illorum errorem incidas qui dicunt se illo sine bona temporalia petere, vt largiores egenis elemosynas præbere: sanitatē; vt Deo melius famulari: honores, vt Reipublicæ prodesse possint: at posteaquam quæ concupierant adepti sunt, contraria ferè his quæ initio sibi proposuerant faciunt: nam diuites facti opes suas includunt, ac potius quomodo illas nouis accessionibus amplificent, quam quomodo egenis disperantur cogitant. Sanitate gaudentes, Dei obliuiscuntur, & vanitaribus, recreationibus illicitis alijsque vitijs actibus illam impendunt. Ad dignitates & prælationes euecti, honores & emolumenta inde prouenientia libentes volentesque sus-

*Temporalia quomodo in oratione peti possunt.*

*Nonnulli orbis insignis error.*



cipiunt, sed laborem & sollicitudinem pro subditorum sibi commissorum salute recusant. Et in his se valde prudenter agere putant, sed si veritas fatenda est, admodum imprudentes & incircumspecti sunt. Quis enim non iudicet nauarchum illum improvidum & ignarum esse, nec a prudentia regi, qui naues suas talibus mercibus oneret, quæ nullius pretij sint eo in loco ad quæ navigationem instituit? Quis autem ignorat diuitias & honores huius mundi, in cœlis nullo loco ac pretio haberi? sunt namque vanæ, instabiles, & corruptioni obnoxia ac proinde in regione solida & permanenti nihilipendantur. Et quauis illic locus eis esset, nulla tamen ratione illuc perducii possent. Nihil enim, vt S. Paulus ait: *intulimus in hunc mundum: haud dubium, quod nec auferre quid possumus.* Et Iob. *Nudus egressus sum de utero matris meae, & nudus reuertar illuc.* Quid prodest igitur tantum laboris ac molestiarum in vanis honoribus, & diuitijs corruptibilibus  
 acqui-

*Eorum qui diuitias & honores sectantur imprudentia demonstratur.*

*Cælum nihil vanitatis admittit.*

1. Tim. 6.

Iob. 1.



acquirendis impendere, cum etiam illas volentes nolentes in hoc mundo relicturi simus? Si meo consilio acquiescis, Anima fidelis, nauiculam tuam potius virtutum ac meritorum thesauris onerabis: hæc enim magni in coelo ad quod iter instituis, ponderis & precij sunt. Onera illam his mercibus quantumlibet volueris, oneris magnitudine nūquam nauicula tua deprimetur. Spirituales enim merces similes sunt auium pennis; nā quæadmodum illæ vestiunt, ornant & eleuant aues in aera: ita diuina dona & gratiæ hominē operiunt, & ornant, atq; animum illius leuiorē efficiunt. Hæ sunt pennis quas sibi dari cupiebat qui dicebat: *Quis dabit mihi pennas sicut columba, & volabo & requiescam.* His pennis si ornata fueris, erunt tibi remorum & velorum loco, quorum auxilio facilius omnes difficultates & damna huius mundi superes.

*Virtutes  
magni in  
caelis precij  
sunt.*

*Spirituales  
virtutum  
merces auium  
pennis  
similes sunt*

*Psalm. 57*

Quod



*Temporali-  
bus quomo-  
do utendū.*

*Psal. 61o*

*Dan. 4o*

*Qui eleemo-  
synam tri-  
buis sibi be-  
nefacis.*

*Mundus be-  
neficencie  
opera dis-  
suadet.*

Quod si cum hisce bonis spiritu-  
alibus, Deus etiam temporalia tibi  
largitur, da operam ut illis benev-  
taris. Consilio Prophetæ morem  
gere: *Diuitia, inquit, si affluunt, noli-  
te cor apponere.* Consilio item Dani-  
elis Prophetæ, quod Regi Babylo-  
nis dedit obtempora. *Peccata tua,*  
*inquit, Eleemosynis redime.* Superius  
docti, te cum pauperibus eleemo-  
synam tribues, Deo illam imperti-  
ri. Cui nunc adijcio: te cum paupe-  
ribus benefacis, tibi ipsi benefacere:  
& dum in terra egenis caducas opes  
dispertiris, in cœlis tibi nunquam  
interituros ac defecuros thesau-  
ros cumulare. S. Martyri Laurentio  
commendati fuerant Ecclesiæ the-  
sauri, sed posteaquam intellexit ty-  
rannum illos violenter rapere velle  
pauperibus distribuit, & tyranno  
eosdem thesauros postulanti, respō-  
dit se per manus pauperum in cœ-  
lum illos transmisisse.

Mundus est Tyrannus, qui suadet  
ut bona tua in suis obsequijs consu-  
mas, aut ut illis parcere utendo cog-  
natis

*natis*



natis tuis amplam hereditatem relinquant. Tu vero ne sis adeo imprudens, sed bonam eorum partem tibi ipsi assume: profer eam in lucem ex tenebris arcarum tuarum: consignata eam in manus pauperum: & in operibus pietatis ac beneficentiae in egenos ante mortem te exerce. nam si existimas posteros tuos post mortem ea tibi transmissuros esse, falleris, ut complures alij. Fac ut ante faciem fax siue lucerna tibi praefatur, non post tergum. Itaque vides quomodo utiliter & magno cum foenore bona temporalia dispensanda sint.

Ad sanitatem & vires corporis quod attinet, eam tota diligentia bonis & honestis actionibus impende, maxime pijs & cum religione coniunctis operibus. Otium deuita, quia otiositas & negligentia, omnium malorum causa est. Qui tempus sine fructu praeterire patitur, aut in rebus vanis & inutilibus illud consumit: sibi metipsum magnam facit iniuriam. Veniet enim ali-

*Sed non est  
acquiescendum.*

*In vitam non  
post mortem  
bona opera  
exercenda.*

*Sanitas quo  
modo impendenda.*

*Otium deuitandum.*

*Otiosorum  
quando puni.*

quando puni.



**Iuan. 9.**

quando nox illa de qua dicit Christus, quando nemo poterit operari. Nox inquam mortis, quando nullus ultra erit meritorum locus. Quare prudenter admonet sapiens: Quod

**Eccles 9**

cunque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos quo tu properas. Et rur-

**Proa. 20.**

sum: Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo aestate & non dabitur illi.

Si damnati qui per suam socordiam & dormitantiam regnum coelorum perdiderunt, ex inferis egredi possent, atque illud iterum lucrari: quanta putas cum diligentia & studio se totos ad Domini famulatum conferrent? Quanto cum feruore dies ac noctes incessanter illi deseruissent? Quanta cum alacritate operibus pijs & sanctis inuigilarent? Nōne dies illis breuissimi, noctes verò longissimæ futuræ essent?

**Exhortatio  
ad continu-  
um bonorū  
operum stu-  
dium.**

Quapropter modò anima Christiana operare quodcumque potes, dum tibi facultas adest, ne tunc incipias



cipientes velle quando non poteris. Et  
 quod ad honorum ac dignitatū ti-  
 tulos attinet, qui tibi deferuntur da  
 operam vt illis ita vtaris, vt tibi po-  
 tius sint gradus quibus ad coelum a-  
 scendas, quam præcipitium, quo ad  
 infernum corruas. Agnosce indig-  
 nitatem & insufficientiã tuã & sum-  
 ma cura sollicitudine atq; cura mu-  
 nera tibi cõmissa administrare stu-  
 de, nominatim si animarum salutẽ  
 concernant. Hoc pacto diuitijs, ho-  
 norib. ac corporis sanitate ac virib.  
 vtẽs, bona illa reddes & meritoria,  
 faciesq; vt quæ malè vtẽtes ad nau-  
 fragium perducunt, eadẽ te ad trã-  
 quillũ, ac felicẽ eternę beatitudinis  
 portũ prouehant. Quãobrẽ cõsulo  
 vt à Deo per Beatiss. Virginis Mariæ  
 stellæ ac fidæ ducis tuæ interuentio-  
 nẽ, omnia bonorum genera postu-  
 les: ita tamen vt prius spiritualia,  
 deinde corporalia petas. Sic enim  
 docet CHRISTVS. *Querite pri-* *Matth. 6.*  
*imum regnum Dei, & iustitiam eius,*  
*& hæc omnia adicientur vobis. Pete-*  
*igitur illa, simulque B. Virginem*  
*dili-*



diligenter roga vt se matrem tuam  
Dei tum tuam esse re ipsa demon-  
stret.

Monstra te esse matrem,  
Sumat per te preces,  
Qui pro nobis natus,  
Tulit esse tuus.

### MEDITATIO.

*Anima obsecrat B. Virginem Mariam  
vt se matrem erga se esse o-  
stendat.*

**H**Actenus, o Mater mi-  
sericordiae, rogavi, vt  
ope atq; auxilio tuo,  
in necessitatib. ac peri-  
culis mihi subuenires: nunc au-  
tem obsecro atque obtestor te  
per pium Matris nomen, vt ea  
quae peto mihi digneris conce-  
dere. Si nimis importuna sum,  
filius tuus id me docuit. Ille na-  
que dixit, cum qui ad ostium ve-  
nit

Luc. 11.

mi-